Duce & Auſpice

DEO TRIUNO!

AUTORITATE ET CONSENSU

Splendidiſſimæ & Gratioſiſſimæ

FACULTATIS MEDICÆ,

in almâ & florentiſſimâ Univerſitate

Jenenſi,

Caſum Laborantis

CORYZA,

PRÆSIDE

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo atque

Experientiſſimo

DN. GEORGIO WOLFF-
GANGO WEDELIO,

Med. Doct. longè celebratiſſimo, Ana-
tom. Chirurg. ac Botan. P.P. famigeratiſſimo,

Dn. Patrono, Præceptore, Promotore atq; Hoſpite ſuo, filiali
cultu æternum colendo,

IN AUDITORIO MEDICORUM,

Die Junii,

publicè ventilandum proponit

AUGUSTUS MICHAEL Dörmer/Erffurto
Thuringus, Anno,

IesV qVo DebetVr LaVs, aC gratIa MaIor.

JENÆ,

TYPIS SAMUELIS KREBSII.

A verbo ineffabili initium!

PROOEMIUM.

MAgna capitis eſt dignitas, magnaque neceſſitas. Continetur in eo cerebrum, nobiliſſimum corporis humani viſcus, primarium ſpirituum animalium organon, quod ſpiritus vitales cum ſanguine per arterias carotides ad ejus ſubſtantiam delatos, in gyroſo parenchymate exaltat, ſublimat, volvit, revolvit, atque ſic in animales ſpiritus nobiliores, puriores ac limpidiores convertit & redigit, quibus anima ad ſenſum & motum utitur. Sed quanta hæc ejus dignitas etiam ſit, maximis tamen calamitatibus & miſeriis non vacat, ſed innumeris quotidiè obnoxium eſt, jam intemperie corripitur, jam ſenſus vacillant, jam humorum diluviis inundatur, qui interdum in fauces, pectus, interdum in nares fluunt. Siſtimus hâc vice coryzam, affectum communiſſimum, exemplo illum exponentes juvenis gravedinoſi, quibus cœptis clementer annuat Deus.

HISTORIA.

IUvenis 20. annorum, temperamenti calidi & ſicci, cujus in themate natalitio ☽. plena cum ♄no conjuncta fuit, poſtquam hyeme aëri frigidiori ſe expoſuiſſet, ſomno diuturniori indulgens matutino, veſperi verò à cœnâ ad noctem concubiam lucubrationibus deditus, muſti & cerevifiæ feculentæ largo uſui, interdum conjunctim, vacans, cibos item vel ſalitos comedens affatim, vel ſale nimis condiens, tempore novilunii ſentit titillationem, ſeu mordicationem in naribus; ſubſequitur *καρηβαρία* ſeu gravis capitis ſenſus, cephalalgia, ſternutationes frequentes, odoratum habet imminutum; ſtillat de naribus humor, per intervalla tenuis, interdum craſſiuſculus, nares rubent & dolent, ſæpè emungere neceſſe habet, petit conſilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, quo cum æger conflictatur, eſt catarrhus in ſpeciali ſignificatu ſumtus, qui ad nares tendit, Græcis CORYZA, Latinis GRAVEDO, Germanis der Schnupffen dictus.

SYMPTOMA hoc eſt, ad claſſem *τῶν ἐκκρινομένων* quod refertur, licet alii ad actionem læſam, nempe facultatis motricis referant.

Adeſſe hoc malum, ipſi judicant ſenſus.

ESSENTIALITER INHÆRENS eſt *Emunctio crebra*, quæ in ſtatu naturali per intervalla longiora, materiâ etiam magis coctâ, fiebat.

ESSENTIALITER CONSEQUENTIA gravitudo capitis, cephalalgia, ſternutationes frequentes, aliaque facultatis animalis ſubſequentia ſymptomata confirmant idem.

CAUSÆ PRÆGRESSÆ & exceſſus in rebus præſertim non naturalibus idem patefaciunt.

Nec SIMILITUDO excludenda duplex. 1. *reſpectu ægri ipſius, ῥεῦμα κινηθῆ διὰ τῶν ῥινέων, fluxus qui per nares movetur,*

δει-

δριμύτερον τοῦ πρότερον γινομένου τὲ καὶ ἰόντος ἐκ τῶν ῥινέων καθ' ἑκάστην ἡμέραν, acrior eſt eo, qui prius erat, & quotidiè ex naribus prodibat. reſpectu aliorum. Nemo enim eſt noſtrûm, qui ſi videat vel audiat frequenter humores per nares excerni, non dicat cum *Juvenale.*

Jam gravis es Nobis, nam ſæpe emungeris, exi.

SUBJECTUM INHÆSIONIS PRIMARIUM eſt *τοῦ ψυχροῦ καὶ κολλώδεος μητρόπολις, arx frigidi & glutinoſi,* CEREBRUM. SECUNDARIUM verò eſt COR & maſſa ſanguinea.

Afficitur cerebrum in catarrho hoc ut ſimilare, temperatum in ſe, reſpectu verò cordis frigidius, quatenus temperies ejus naturalis, ab adventantibus ſeroſis humoribus impetitur. Afficitur etiam, ut meatibus præditum; ſimul ac enim canales deplentur, fluxio iſta moleſta ceſſat.

MODUS, quo in Coryzâ cerebrum afficitur, eſt duplex; unus per eſſentiam, quando ſanguinem arterioſum adductum tum pro ſubtiliſatione ulteriori, tum ad nutrimentum ſibi proprium legitimè non coquit; quâ alteratione inhibitâ excrementa generantur.

Hæc ibidem *κατὰ συναθροισμὸν καὶ διάθεσιν* pronata ad excretionem ſui ſtimulant. Alter per conſenſum poſitivum cum communitate materierum, quando ob cacochymiam totius maſſæ ſanguineæ vel determinatæ partis, potiſſimum ventriculi, ſuſcipit *κατὰ ῥευματισμὸν καὶ ἐπίχεσιν defluxionem* & *irruptionem* vitioſos humores.

In noſtro ægro potiſſimum patitur per eſſentiam, non obſtante, quod per accidens, ob errores diætæ, etiam maſſa ſanguinea accuſari omninò poſſit.

CAUSA IMMEDIATA eſt facultas expultrix irritata. Vitiatur hæc 1. per ſe, quia irritata ad expulſionem rei moleſtæ exſurgit, ut illam quam longiſſime à ſe propulſet. 2. per accidens, quia læsâ retentrice humores ſponte ſuâ viam ad naturæ ordinariam cloacam, ſeu pituitæ excerniculum affectant.

MEDIATA PROXIMIOR CAUSA ſecundum *eſſentiam* conſiderata, ſunt humores ex prædominio ſeroſi,

 ex

ex ſubdominio pituitoſi, quod exinde patet ex Hiſtoriâ, quia tenuis & interdum craſſiuſculus humor de naribus ſtillat. Conſtituit ſerum ὄχημα τῆς τροφῆς & alimentarii ſucci portitor quaſi exiſtit, ſin vero ubere ſuccreſcat ortu, ex ciborum & poculentorum aquoſis & ⊖nis partibus generatum, nec in debitis locis ſecretione extra clima animati corporis amandetur, mediante circulatione omnes corporis partes pervadit, & imprimis etiam ad cerebrum devolvitur. Hic congeſtum fluxionum varias turbas ciet.

Chimici alii ☿le, alii rectius ⊖num accuſant principium, quod ſeceſſionem faciens confœderationis lædens leges & fluorem adeptum ipſo ſapore ſalſo ſe prodit.

P. J. Faber vitium primæ coctionis, quod neque in ſecundâ nec in tertiâ emendatum fuit, accuſat. Hinc cum ad ultimam culinam non niſi per primam eatur, excrementorum largus proventus.

Secundum *modum eſſendi* peccat ſerum *quantitate.* Ex naturæ enim inſtituto & legibus reſpondere debebat aſſumptis. Si itaque terminos hoſce excedat, jam periculum & morbos partibus, quas debiliores invenit, h. l. cerebro, intentat.

Qualitatibus excedit *primis*, quia alienæ qualitatis particeps, calidius, acriusque eſt factum; in *ſecundis*, cum juſto tenuius ſit redditum, manifeſtamque ſalſedinem ſecum vehat; Ab utrisque magnam ἐνέργειαν ſibi acquiſivit.

Motu generationis & *locali* humores hi delinquunt.

Generati fuerunt in cerebro, ceu loco affecto ipſo per συναθροισμὸν ſubſiſtentes, tum à *facultate læſâ* ipſâ, tum ab *errore externo.*

Læſa fuit facultas, ab intemperie calidâ, quæ tenues & acres producit catarrhos, ipſosque reddit ſalſos. Humiditas accedens, proventum excrementorum adauget.

Externi erroris vicem complent res non naturales malè ab ægroto adminiſtratæ. Unde extra locum affectum vitio ventriculi, reliquorumq; depuratoriorum viſcerum per ῥευματισμὸν ad cerebrum didita materia vitioſa, ibique domeſtico adaucta acceſſorio per ſpongioſos narium mæandros exitum ſibi quæſivit.

Motum

Motum localem quod concernit: Terminus à quo ſeu pars mandans eſt caput, non ſecundum externas ſed internas partes, meninges, quarum intra ſpatium catarrhi ſufficienter colligi queunt, & glanduloſam ſubſtantiam, ventriculos, potiſſimum anteriores conſideratum. Per glandulam pituitariam ſucceſſivâ ſecretione eliminantur humiditates.

Terminus ad quem, ſeu recipiens pars ſunt nares, quæ in noſtro ægro catarrhi ſalſi graviter ferunt moleſtiam. Viæ ſunt os cribriforme non quidem exactè ad ſenſum apertum, poris tamen & meatibus, quibus ſeroſi humores delabuntur, ſufficientibus conſtans, & vaſa. Membrana craſſa, quæ huic ſuperjacet, inſtar cribri ipſa etiam eſt perforata.

Modus fluxionis fit partim ὤσει *pulſione*, cum moleſtum ſibi onus facultas expultrix ejicere omnibus contendat viribus, ἕλξει partim fluxio hæc augetur, à calore & dolore advocatis humoribus. Adjuvat receptionem naribus per naturam deſtinatum munus, nempe mucum evacuandi. Humorum inclinatio, qui deorſum vergunt, accedente ſeri ὀργασμῷ, non minimum addit pondus.

In MEDIATIS remotioribus NATURALIBUS, 1. *Temperamentum* totius calidum & ſiccum, per ſe quidem humoribus non abundat, per accidens tamen & ipſum humores acriores reddere poteſt.

2. *Magnitudo capitis*, multi alimenti indiga cum ſit, plurima quoque coacervat excrementa, quorum ordinaria cloaca cum ſint nares, non mirum eſt, in ſtatu p. n. feracius longè propullulare & excerni. Accedit ipſe in loco excelſo ſitus, quò ceu in XX evaporationes à ſubjecto corpore collimant.

Non naturales inter accuſandus venit *Aër frigidus & humidus*; frigidus in qualitatibus activis conſtipat poros, & fuliginum inhibet ventilationem; in paſſivis, humidus, caput vaporibus replet, qui ibi condenſati liquantur & in humores faceſſunt, excitantque alios, ut fermentatione p. n. factâ ſeceſſionem parent. Modus, quo cerebrum ab aëre frigido afficitur, eleganter in thermometro, ſeu vitro Calendari poteſt demonſtrari.

Anni

Anni tempus hyemale gravedinum ferax, teſte *Coo. 3. aph. 13. & 23.*

☽ In themate natalitio plena ♄no conjuncta parum quidem momenti addere videtur noſtro malo, niſi dicamus ad humorum congregationem illam magis diſpoſuiſſe cerebrum.

Novilunium humores commovendo (☾ enim humorum mater) his addidit ſymbolum.

Somni matutinus exceſſus detinuit excrementa, ſeroſos humores adauxit, calorem naturalem debilitavit, p. n. verò promovit, unde deſtillationis hujus non ultima cauſa eſt.

Vigiliæ intempeſtivæ nocturnæ, à cœnâ ad noctem concubiam continuatæ, evocato ad laborantis cerebri, in lucubrationibus, ſubſidium igne, coctionem primam turbarunt. Conſvetudo hæc prava corporis robora, inquietâ agitatione nocturnâque vigiliâ, minervat.

Muſti & cereviſiæ feculentæ uſus non parum defluxiones promovit, quia & calorem vitalem obtundunt, & præter varias cruditates, tenues, calidas, & ♀reas evaporationes rectâ ad cerebrum vergentes, effecerunt, cum ſangvine communicatis limoſis peregrinis atomis, quæ mediante fermentatione ſegregationem ſui poſcebant.

Cumque unum horum per ſe ſatis fuiſſet turbandæ œconomiæ animali, juncta eadem evidentiori cum effectu id præſtiterunt.

Quantum verò damnum alimenta varia, contrariis ſibi oppoſita facultatibus, corpori noſtro fœnerent, vix dici poteſt.

Cibi ſaliti & ſale nimium conditi ſero acriorem addidere ſtimulum, ut dominio præ aliis humoribus potitum laxis habenis debiliora occupet majori impetu membra.

Inde ſequentium excitatorum ſymptomatum ratio jam reddenda.

1. *Senſit titillationem* ſeu mordicationem prurientem *in naribus*, ob ſalini humoris in membranam narium adventum & decubitum.

2. *Gra-*

2. *Gravitudo capitis* ſeu καρηβαρία propter repletionem cerebri vaporoſam & humoroſam ſucceſſit.

3. *Cephalalgia* orta fuit, quia humores acres diſtendendo membranas cerebri ſolutionem unitatis inducunt.

4. *Sternutationes frequentiores* debentur irritatæ facultati expultrici, quæ id, quod moleſtum eſt, excutere nititur.

5. *Odoratum habet imminutum*, quia nervorum odoratoriorum principium à reſtagnantibus humoribus ſeroſis aliquo modo obſtruitur.

6. *Stillat de naribus humor modò tenuis, modò craſſiuſculus.* Exire enim allaborant humor pituitoſus naturalis, & p. n. ſeroſus, utrique tamen excrementitii.

7. *Nares rubent & dolent*, tum ob calorem & acredinem excrementorum, tum quia emunctio crebra, quæ copiam humoris indicat, membranas externas vellicat.

ΠΡΌΓΝΩΣΙΣ SALUTIS ET MORTIS; Quibus nares naturâ ſunt humidiores, illos minus proſperâ valetudine uti, approbat quidem *Cous 6. aphor.* 2. Accedit & τȣ͂ πάσχοντος μορίȣ, patientis membri, cerebri nempe, dignitas, quod, ceu principale viſcus, ſeroſitatibus excrementitiis obrutum, vacillat in operationibus animalibus; Tantum tamen abeſt, ut periculoſum hunc affectum ægro futurum præſagiamus, ut potius ſalutarem, plurimorumque morborum, cum per nares decenter feratur, averruncatorem pronunciemus, veluti & communiter à vulgo pro ſanitatis confirmatorio indice gravedo haberi ſolet, unde & bonam & proficuam eam ſolenniter judicamus, præſertim cum æger noſter lucubrationibus ſuis facilè malum hypochondriacũ accerſere ſibi poſſit, jam verò, teſte *Hippocrate l. 2. epid. t. 42.* coryzâ laborantes minus duritiei lienis obnoxii ſunt.

Tenuis quidem eſt catarrhus, non tamen verſus interiora deflectens à notâ viâ ſtillat, ſed rectâ viâ, portâ ſolitâ exit.

Longum fore catarrhum hunc pariter non metuimus. Æger in florente conſtitutus eſt ætate, expers idcircò fulminis Hippocratici: deſtillationes & gravedines in valdè ſenibus non admittere πεπασμὸν *2. aphor. 40.* Calidi, acres catar-

rhi breviores eſſe conſueverunt. Quare ſi modò erroribus non peccet externis λύσιν citam ægro prædicimus.

MODUM EVENTUS deſignantes πεπασμὸν jam laudatum, ſeu coctionem & diſſolutionem: poſtquam fluxus craſſior & minus acris, concoctusque, & magis mixtus priore reddetur, tunc ſanè jam etiam ardor ceſſabit, & gravitudo.

CURATIO indicationibus nititur uſitatis.

Curatoria, ſymptoma ipſum, & ejus ablationem reſpicit.

Præſervatoria, cauſis removendis intenta, humoribus quantitate, qualitate, motuque & loco peccantibus, frenum injicere jubet, acres calidos temperando, tenues incraſſando, viſceribus, ne tales amplius generentur, proſpiciendo.

Vitalis, per ſimilia vires reſtaurare, dolorem capitis & narium, ne plura poſt ſe trahat incommoda, mitigare nititur.

Satisfiet hiſce, materiis præſidiorum ex uſitatis depromtis fontibus.

Ex CHIRURGIA VENÆSECTIO ſuaderi poteſt, cum ætas ægri ſit florens, adſit abundantia ſanguinis, vires conſtent, catarrhus ſit calidus. Sero h.m. evacuato, pacatiori procedet mucus rivo.

CUCURBITULÆ ſcarificatæ, ſanguinem ex venâ & arteriâ ſimul evacuantes, applicari poſſunt dorſo & pedibus.

SETACEUM vel VESICANTIA, in nuchâ adhibita, inſigniter proderunt, ſi magnitudo mali indicatum æquale expoſcat.

Applicari hunc in finem poſſunt *cantharides c. ſem. ammeos, & fermento*, omiſſa ♃, vel *emplaſtrum* potius *veſicatorium noſtrum*, & per aliquod tempus fluxus alio emplaſtro prorogari.

Ex PHARMACIA mutuabimur primò LENIENTIA, ut ſaburram alvinam levi ἐκκοπρωτικῷ exſtimulemus.

℞. *pulp. tamarind. exoſſ. mann. elect.* a. ℥ij.
cryſtall. ♀*ri* ℈ß. *ſir. viol.* q. ſ. M. F. l. a. bolus
S. Eindbiſſen.

℞. ▽ *ſerpilli compoſit. pœoniæ* a. ℥ij.
mannæ calabrinæ ℥iß.

ſir.

ſir. de cich. t. rhab. ℥j.
M. F. potio, S. Lindträncklein.
Lenitis primis viis, præparentur humores, & corpus ſequenti bolo.
℞. *conſerv. roſ. antiq.* ʒj.
pulv. maſtich. chiæ ℈j.
ſpec. diatrag. fr. ℈ß.
ſir. portulac. q. ſ. M. F. l. a. bolus.
℞. ▽ *beton. nymph. ſalv.* a. ℥ij.
M. S. ʒj. ⊕*l. ſtriat.* ℈ß.
ſir. de pino, glycyrrhiz. a. ℥j.
M. S. præparir-Tråncklein uf 3. mahl.
Utramque intentionem & leniendi, & præparandi expediunt *pilulæ de ſuccin. Craton.*
℞. *pil. de ſuccin. Crat.*
maſtichin. a. ʒß.
℅ *ſuccin. alb.* gt. ij.
ſir. de beton. q. ſ. M. F. l. a. pil. S. uf 3. mahl.
Adſumantur bihorio ante vel poſt cœnam.
Præparati humores educantur purgantibus καϑαρτικοῖς.
℞. *extr. agaric.*
cathol. Andern. a. ℈ß.
⊖ *ſuccin. volat.* gr. ij.
reſ. ſcam. gr. iv.
elix. cephal. q. ſ. M. F. l. a. pilulæ.
℞. *pulv. purgant. Comit. de Warwick. laxat. veget.* a. gr. xij.
⊖ *majoran.* gr. v.
℅ *ſuccin.* gt. j. M. F. pulvis. S. Laxierpůlverlein uf 1. mahl.
VOMITORIA, ne caput magis repleatur, præſertim cum non nauſeabundo effluvio evacuationem hanc urgeat ventriculus, omittemus.
SUDORIFERA, excutiendis per poros cutis ſeroſis humoribus, & exſiccandis intenta, magno erunt uſui, cum ſæpè una ſudatio, aliò trahens humores, vel ſiſtat catarrhum, vel

exſiccet & coquat. Ut enim ſicubi imbribus collecta colluvies erumpit, & cœco curſu aggeres exerrat, ſi alibi aperta porta, minori cum damno effluit: ita per ſudores divertetur, quodcunque exuperat in ſanguineâ maſſa, & ad caput, ut egrediatur, derivatur.

℞. ~ *lign. ſanct.* ʒj. ♀ *compos.* ʒß. *eſſ. lign. ſaſſafr.* ℈j.
 ▽ *catarrhal. betonicæ* a. ℥ij.
 ſir. corall. de beton. a. ℥ß. M. F. Potio. vel

℞. *bezoard.* ☽*ar.* ℈ß. ⊖ *ſuccin. vol. rectif.*
 mag. anod. a. g̃. vj. M. F. pulvis.
 S. Schwizpülverlein uf 1. mahl.

Eandem laudem merentur DIURETICA; paribus viribus deplentia reſides imbres.

℞. °o° *ſuccin.* ʒj.
 ⊖ *ſuccin. vol.* ℈ß. Digeſtione leni factâ D.
 S. Urintreibend Oehl.

℞. *mag. oc.* ♋ ℈ß. °o° *meliſſ.* gt. j.
 ⊖ *majoran. junip.* a. g̃. vj. M. F. pulvis.

Evacuationes haſce univerſales ſeu publicas excipiunt particulares ſeu privatæ per os, & nares, non obſtante, quod per locum affectum evacuandum negent practici.

Commendamus ægro noſtro errhinum iſtud, quod olim celebris Medicus in ſimili caſu communicavit cum Wallenſteinio. Attrahat è volâ manus *aquam majoranæ*, ore vino vel aquâ repleto, ne in nares regurgitet, alterâ nare etiam clausâ, repetat ſæpius, & venientem muccinio excipiat pituitam. vel

℞. *ſucci ſerpilli.* ʒij. ▽ *majoranæ* ℥ij.
 ambr. g̃. j. procedatur eodem modo.

Sternutatio ſin urgenda videatur, ſequenti utatur pulvere.

℞. *pulv. fl. lil. convall.* ℈j. *rad. irid. Fl.* ℈ß.
 ſem. nigell. g̃. vj. *caſtor.* g̃. ij.
M. F. pulvis, attrahatur piſi magnit. in nares.

Maſticatorii apophlegmatiſmi gratiâ ſequentes ore volutet & dentibus terat trochiſcos.

℞. *maſtich. granulat.* ℥ß. *cubeb.* ʒij.

ſaccha-

ſacchari cantii ʒß.
moſchi g̃. j.
mucilag. gum. tragac. c.
▽ *ſerpill. fact.* q. ſ.
F. l. trochiſci S. Mundküchlein.

Vel ſola grana cubebarum, & maſtichis eidem inſerviant fini.

A fumo tabaci, decantato illo catarrhorum remedio, ægrum tantisper arcebimus, donec craſſior fluat catarrhus, ne jam acredine catarrhi obſeſſæ partes ignitis hujus atomis ulterius irritentur. Niſi forſan externè nodulum ex illo ſibi petat æger.

℞. *tabaci* ʒß. *ſeminis nigellæ* ʒij.
herb. ſerpilli, majoranæ a. mß.
ſtyrac. calam. ʒj. M. inſuantur ſyndoni rubræ.
F. l. a. nodulus S. Riechbüſchlein.

ALTERANTIA & roborantia caput & viſcera nunc attendenda.

℞. *conſerv. ſerpilli, majoranæ, anthos* a. ℥ß.
nucis moſchatæ condit. n. j.
ſem. coriand. ppt. maſtich. ppt. a. ʒj.
ſuccin. alb. ppt. ſp. arom. roſ. a. ʒß.
M. *c. ſir. viol.* q. ſ. F. l. a. Elect. S. Stärckelatwerg.

Adſumat quantitatem nucis caſtaneæ vel juglandis, manè & veſperi.

℞. *ſpec. diarrhod. abb.* ʒß. *diatragac. f.* ʒj.
maſtich. ppt. ℈iv. *conſerv. roſ. vet.* ʒij.
ol. ſuccin. gt. iij. *ſacch. in ſ. q.* ▽ *ſerpill. ſolut.* ℥iv.
M. F. l. a. rotulæ.

℞. *extr. ladan. zedoar.* a. g. xv.
mag. corall. ſmaragd. ppt. hyacynth. ppt.
mag. ſuccin. ſpecif. ceph. a. ℈ß.
extract. opii ambrat. ritè ppt. g. vj.
M. F. pilulæ LX. inaurentur S. Haupt- und Flußpillen.

℞. *eſſent. catarrhal.* ʒij. *elixir. cephal.* ʒß.
D. in vitro S. köſtliche Eſſenz 20. 30. gtt.

Ad dolorem capitis & catarrhi acrimoniam mitigandam circa horam ſomni propinari poſſunt ſeq. pilulæ.

℞. *laud. op. ambrat.* g̃. iij.
mag. tacamah. g̃. vj.

M. c. ſ. q. *eſſ. catarrhal.* F. l. a. pil. S. Flußpillen.

℞. *Tinctur anod.* ʒj. *eſſ. catarrhal.* ⊕*l. cephal.* a. ℈j.

M. in vitro S. Sonderliche tinctur, 20. 30. gtt. gegen die Nacht.

Externa Topica colophonem felici addent eventu.

Illinatur commiſſuræ ſuturæ coronalis & ſagittalis linimentum ſequens:

℞. ⚯ *ſuccin. nigell.* a. ʒiß. *gum. elem. tacamah.* a. ℈j.
Leni calore ſolvantur, & D. in vitro. S. eiſerlich Oehl auff den Würbel zu ſchmieren.

Appendatur radix rheumatica *Dodonæi* & *ſem. nigellæ integrum*, ſyndoni rubræ inſerta, ceu amuletum præſentaneum, maximè ſi ſæpius ſe tentari poſſe catarrhis metuat æger. Cui fini & ſequentem ad roborationem capitis præſcribimus pileolum:

℞ *herb. beton. ſerpill. roſmarin.*
fl. lil. convall. ſtoech. arab. roſ. rubr. ſpicæ,
rad. irid. fl. cyper. rot. rhod. a. ʒiß.
ſuccin. gum. junip. a. ʒj. *ſtyrac. calam.* ℈j.
moſch. g̃. ij. *ambr.* g̃. iij. M. F. l. a. cum
ſindone rubrâ interpaſſando cucupha.

vel. ℞. *cerat. de beton. Auguſt.* ʒj.
tacamah. ʒij.
⚯ *rut. anetb. Nat.* a. gtt. iij.

M. F. l. a. magdaleon. Applicetur vertici raſo, non minus ad dolorem capitis, quàm catarrhum inſinuaturum accommodas vires.

Ejus vicem etiam ſuſtinere poteſt ovum ad duritiem coctum, polline maſtichis & carannæ medicatum, bregmati impoſitum.

Naribus *balſamum majoranæ*, *ſuccini* &c. inungatur, niſi intempeſtivo ſternutatio frequentior urgeat motu, quo caſu

lac

lac in nares ſuctum, acredinem & iratam demulcens membranam, proderit.

Denique ſuffimigium ſequens pro mali averruncatione, aërisque alteratione commendare non dubitamus.

℞. *tacamah.* ℥ij. *maſtich. oliban. ſuccin.* a. ℥j.
vernicis ℥iß. *ſtyrac. calam.* ℥j. M. craſſiuſculè contuſ.
D. in chart. S. Räuchpulver.

Quibus omnibus prolixè penſitatis ad fontem diæteticum abripimur.

In DIÆTA naturali, CIBUS ET POTUS eligatur, ratione quantitatis, frugalis. In victu enim præcipuè & medendi & præcavendi catarrhum ratio conſiſtit. Si cordi ægro ſalus, non immoretur huic parvæ conſuetudini, ut miſceat conchylia turdis, muſtum cereviſiæ & cereviſiæ muſtum.

Solicito ægro, an cœna debeat eſſe liberalior prandio? Reſpondemus: Ab utroque abſit conſilio. Non ſatiari cibis Hippocraticum in animo habeat. Nec eſt, quod dicere nonnulli ſuſtineant, majorem quantitatem ciborum in cœnâ aſſumtorum facere, ut cibi non poſſint evaporare ad cerebrum: à prandio verò magis ad injurias ſuſcipiendas patere iſtud.

Jejunet, vigilet, ſitiat, qui ῥεύματα curat.

Ratione qualitatis ad frigidum devergat victus, pedetentim tamen: Acres, ſalſi, fumoq; indurati cibi interdicantur menſæ. Piſorum juſcula, hordeaceæ & avenaceæ pulticulæ ſint curæ.

An vini uſus probandus ſit, quæſiti, dicimus, concedi poſſe oligophoron, generoſo, & aquæ vitæ communiter dictæ intempeſtivo uſu non laceſſat ſanguinem. Pulveres peptici à paſtu conveniunt. Caſeus recens & vetuſtus, Coo damnatus oraculo, & noſtris damnatur calculis.

Sitim ſi perferre poſſit, ad exſiccandam humiditatem præſens auxilium fore ſpondemus. Nullum præſentius remedium in tenui exſiccando catarrho triduanâ ſiti in ſe ipſo expertus eſt *Heurnius*, & *Carolus Piſo* in plerisque poſt illum *l. de ſeroſ. colluv. p.* 258.

In

In VITALI AER ſit temperatus, alteratus admiſſione odorum & ſuffituum ſuprà libatorum. Frigidus devitetur.

ANIMI PATHEMATA rectæ rationis non transgrediantur indultum.

In ANIMALI SOMNUS ET VIGILIÆ non excedant mediocritatis limites, immoderatæ vigiliæ pariunt cruditatem, cruditas excrementa, excrementa cum debili communicata membro, hoc loco capite, noxam diutius duraturam inſinuant. Aurora muſis amica ſtudiis deſtinetur, non marcidæ noctis tenebræ. Situs capitis ſit elatior. Tegumentum, confortantium odorum inſpiratum halitibus, à frigidâ humiditate defendat affectam partem.

MOTUM nimium excuſsâ quiete non inſtituat, neque torpido otio temeret vividum caloris vitalis motum.

EXCREMENTA alvi & ☐æ indies reſpondeant, ad has potius vias derivato fluxu, quàm ad ſuperiora.

VENUS, ſi commodè licet & honeſtè, non inutilis erit.

A BALNEIS & lotione capitis ſibi temperet, certus & fluorem hunc brevi ceſſaturum, & brevi moleſtiâ, quod noxium eſt in corpore, ſecum exturbaturum.

Pereximie Dörmere.

LAudo diligentiam Tuam, quod circà particularia exerceri ſeu τεχνωθῆναι magno ponis in pretio, nec privatim ſolùm indies exerceri in hiſce amas, ſed & publicè ſpecimen edere profectuum. Nullus Tibi per otium dies exit: quotidiè in hiſce deſudas. Ægrorum negotium agis, qui à Tuâ manu expectant ſalutare auxilium. Perge ita ſolidis artis fundamentis perficere animum, ut patria Te morborum artificem ſalutet, & fama heroem, quod votum eſt meum & omen. Dabantur è muséo Jenæ 1673. 13. cal. jul.

Georg. Wolffg. Wedelius,
D. PP.

F I N I S.